



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.l.], 1711**

LXXXIV. Athalia Iudaici regni Furia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

saphati pietatem reflorescere cupientes in nepote,  
 Ex prava superstitione turbida mens, & in admini-  
 strandis rebus præceptis. Cùm expediret regni pri-  
 mordia, paci & salutis publicæ consecrari, Martem  
 suscipit non suum, sed *Iorami*, qui tum Achabi fili-  
 us, & hæres Israëliticum regnum obtinebat. Pug-  
 nârunt ambo adversus *Hazuëlem*, Syriæ Regem in-  
 feliciter: nam Ioramus multis vulneribus acceptis,  
 coactus est *Iezraëlem*, curando corpori secedere; dis-  
 cedentem è castris consequitur *Ochozias*, funestâ im-  
 plexus amicitia.

Sævus interim utrique ludus apparatus, nam *Ie-  
 hu* inter Iorami duces, animi ferocis, & instar flagel-  
 li, ad evertendam Achabi Domum, adhibitus, Ior-  
 ramum sagittâ transverberat; Ochoziam rei atro-  
 citate commotum, & fugientem, in curru per suos  
 confici jubet. Reportatur in patrios lares cruen-  
 tum cadaver, ipsis etiam, qui oderunt, miseran-  
 dum. Ad hunc exitum post unius anni regnum,  
 familiaritas Principis impij & pessima consilia, mise-  
 rum juvenem ad egere. Ita nimirum par filium de-  
 cebat pœna, in vitijs à Patre non degenerem.

NARRATIO LXXXIV.  
 ATHALIA SAN-  
 GVINARIA IVDAICI  
 REGNI FURIA.

4. Reg. Cap. 11. 2. Paralip. cap. 22. & 23.  
 Ab Anno Mundi 3151. Ante Ch. 922, ad ann. M.  
 3157. ante Ch. 896.

Qua



**Q**ua aspidis Iosaphatus fovebāt, cū Athalia-  
 am Achabi & Iezabelis filiam, in regiam  
 induxit; inde statim sēva pestis, & ingens  
 calamitas erupit. Nam mulier scepro potens plūs  
 sēpē audet, quā Vir gladio. Justa tum Ochoziæ  
 Manibus reddebantur, cū mulier furoris impo-  
 tentissimi Regnum invadit, & Thronum non aliter  
 stabiliri putat, quā si nepotes suos, Ochoziæ filios,  
 adeoque Davidicum stemma totum, tollat de me-  
 dio. Itaque regnum vi occupatum, vi & crudeli  
 superbia administrat, vasta & promiscua cæde, quid-  
 quid erat regij sanguinis extinguit. In tam cruen-  
 tas iras rapuit sēminam cupiditas dominandi; de-  
 inde metus supplicij; sola namque ex Achabi fami-  
 lia superstes, impurum ferro spiritum, juxta inter-  
 minationem Eliæ, debebat. sexenniō tyrannis ea  
 grassata fuit, nepotibus ex filio Ochozia cunctis cru-  
 deliter interemptis, præter Ioam, anniculum in-  
 fantem, aviæ truculentia, à Ioiada Pontifice clām  
 subtractum, uxoris industriâ & pia fraude, Iosabæ  
 seu Iosabethæ) sororis Ochoziæ, quem sua cum nutri-  
 ce in secretis Templi ædibus abscondit, aluit, edu-  
 cavit. Regnat interea Athalia gementibus om-  
 nibus, nemine recusante; tantus sēvitia muliebris  
 terror animos oppresserat.

Septennis jam erat puerulus Ioas, cū Ioiada  
 Pontifex, vir ingentis spiritus, & rarissimæ pru-  
 dentia, doluit cives suos non tantū à Regno, sed  
 à servitute quoque degenerasse, dum sēminæ ty-  
 rannicæ, & impietatis antesignanæ turpiter oble-  
 querentur. Cœpit agitare grandia, & operosa con-  
 silia,



filia, de patria liberanda, & evertenda funditus tyrannide. Primates Regni, fortissimos tribunos ac centuriones, in secretum Templi seductos, postulata prius arcani religione, eaque per jusjurandū, ante conspectum DEI vivi exactā, fidenti allocutione affatur.

Obijcit lugubrem regni statum, sacra detestabili cultu temerata, oppressa ferro jura, dominante contra patrias leges muliere, eaque extraneā, de inimica gente, & idolorum cultrice. Nihil illi magis provisum, quàm omnia concutere, ut stet; omnia perdere, ne pereat. Et quid non dirum ab illa exspectandum, quæ à filiorum cæde regnum sit auspiciata; deturbandam intrepidè de horum fastigio, antequam omnia cædibus & flammis deleat. Nondum esse, quod avidissimè ipsi cupiebat, Regium omnè semen extinctum, superesse ex illa veneranda & æterna Davidis progenie, puerulum unum, legitimum Regem, quem potestati asserere, toto conatu deberent. In promptum rem esse; dimicandum contra mulierem, libidine & socordia pari; nihil illi ab Israëlitico Regno auxilij exspectandum, rebus nuperrima *Ioram* [Regis Israëlitæ, cui cognominis fuit Iudæ Rex, de quo supra] cæde turbatis, ac penitè confusis: nihil in hoc sperandum omnibus exosæ, & toties damnatæ, Exspectari tantum percussorem, nec DEI defuturam pijs conatibus manum. Hæc præfatus, septennem jam infantem educit è latebris; ad cuius conspectum, veneratione omnes & lætitia perfusi, Sacramentum præstant, mori pro dilecto capite supra modum parati.

Tum



Tum Pontifex ordinem conjurationis pandit, & quem quisque locum obtinere, quid facere debeat, præscribit: arma quoque in Templo paratissima extare monet; tantum viri essent adversus fæminam. Negotium imprimis Levitis committitur, qui magno numero ex cunctis Iudæ urbibus confluxere, ut omnes Templi aditus, valida manu sepiant, neminemque, ne in atrium quidem exterius [quod Levitarum dicebatur] intrare patiantur. Atque, ut ne consiliorum aliqua suspicio ad Athaliam emanaret, ij, qui constituti erant in excubijs, vices mutabant, alijs atque alijs, tanquam ad ministeria Sacrorum succedentibus, ut non ad arma conjurata, sed ad Templi officia convenisse viderentur.

Dies lecta tanto facinori; & certatim omnes præstare. Rex puer acri custodia septus, in Templum ducitur, ornamentisque regijs indutus, Legisque Divinæ volumen manu tenens, inungitur, profusisque vocibus hæres sceptri Iudaici acclamatur. Tumultu excita, [regia namque domus erat Templo proxima] nec despondens animos Athalia, festinato gressu advolat familiari cum comitatu, & prætoriana cohorte: inter confusam turbam, clamoresque populorum, ad Aram [quæ in Atrio Levitico posita] pergit, exclusis, jussu Ioiadæ, stipatoribus. Mox ubi Ioam sedentem in suggestu vidit, simulque arma & tubas, chorosque Musicorum, attonita rei novitate, scindit furiosè vestes, & exclamat: *Conjuratio, conjuratio!* si fortè suos ad resistendum provocaret. Sed vocem contrà tollente populo, & novo Regi vitam ac felicitatem apprecante, Pontifex dat mandatum militum centurio-

ni.



nibus, ut vociferantē, extra Templi septa abripiant, & interficiant. Extracta igitur ē loco sacro, juxta palatium regium [ ut ibi caderetur, ubi peccarat ] gladio, & cum ea, stirps omnis Achabæ tollitur. Inaugurato Regi, & in palatium cum festā pompa introducto, fides clientelæ præstita, fœdera mutuò renovata, simulacra Baalis deturbata, delubra diruta, Hierosolyma expiata, Templum instauratum, Religio restituta, ædes Sacra, Regiæque fortissimorum virorum præsidij munitæ, <sup>100</sup> Principis optimi, *Joïada* Tutoris, Patris, Pontificis munia cuncta strenuè exsequente. Scilicet auctorem sceleris ē medio sustulisse idem erat, ac religionem throno pulsam reposuisse.

NARRATIO LXXXV.  
**JOAS REX JUDÆ, IN-  
 CONSTANTIS ET IN-  
 GRATI ANIMI EXEMPLUM.**

Lib. 4. Reg. cap. 12. 2. Paralip. cap. 24.  
 Ab Anno M. 3158. ante Ch. 895. ad annum  
 M. 3196. ante Ch. 857.

**O**ptima spes educationis magna ex parte est penes Institutores, quorum vitia & virtutes in alumnorum mores influunt. Postquam magna omnium cum congratulatione & lætitiâ, <sup>100</sup> ut diximus, imperij Judaici sceptro admotus est, continuo cunctorum quoque votis expetitus <sup>100</sup> *Joïada* Pontifex, qui Regis infantiam, quique regnum admini-